

MICHAELIS ANTONII CARI  
POEMATIS "A LAS RUINAS DE ITALICA" VERSIO.

DANIEL RESTREPO, E SOCIETATE IESU,  
CARISSIMO SODALI SUO R. P. FELICI RESTREPO,  
EX EAD. SOC., S. AC P. XTI.

Quas adnotatiunculas ad versionem magni poëmatis *A las Ruinas de Itálica* a præcelso nostro Caro compositam, a me non semel petiisti, tibi in praesentia mitto. Et sane, diu veritus sum tali scripto operari: quotus enim quisque de tam mirifica versione agere dignum se existimabit, quum perinde id sit ac splendore lampadis tenuis velle solis lumen ostendere, aut persuadere homines dulcedinem favi quem labiis iam habent admotum? Quod si quis talis nunc in patria nostra exstet, is ego minime sum. Sed movit me tandem, praeter tuam petitionem, desiderium offerendi quantulumcumque summo nostro Humaniorum Litterarum cultori tributum: ut non solum docti, sed et insipientes atque horum studiorum amatores (*amateurs* dicunt vernaculi), plaudentes novo muneri nostri Michaëlis Antonii appareamus.

Utrum hae pagellae dignae sint recensionis quam modeste appellatis *Boletín*, tu videris; sin vero illi eruditae recensionis non aptentur, libere illas reiicias, atque inter scruta relegatas velis, ea libertate qua primum est te de meis uti.

Et valeas; et Dulcissimae Deiparae mihi tuis precibus gratiam fac demerearis,

Ad Chapinero, in civitate Bogotá, prid. cal. martias A. D. MDCCCC XXXXVIII.

Iniustos equidem semper duxi eos qui praeclearo Columbiano decori, Michaëli Antonio Caro, titulum veri poëtae denegarint. Qui enim privari possit eo nomine is qui oden *In statuam Bolivaris*, et cantum *Ad Silentium* conscripsit? Certe, Menéndez Pelayo, testis numquam excipiendus, sic locutus est de ode illa Bolivariana: Qui talis poëmatis auctor fuit, non potest non computari inter maximos lyricos Castellanae dictionis. Immo, addam ego, licet non meminerimus Cari poëmatum lyricorum in hispanica lingua, sufficeret eius poëticae gloriae opus versionis sive ex aliis linguis in nostram optimorum Melpomenae cantuum, Latinorum potissime, sive in exprimendo ligato Latino sermone diversa carmina vernacula, ut magnificam elegiam manzonianam *Il cinque maggio*. Inter Colombianos litteratos, ecquis est qui, dummodo mediocriter noverit linguam Vergilii et Marci Tullii, non legerit, in Latinum versum aptatam, elegiam illam Domini Ioseph Ioachim Ortizii *La monja desterrada*? Quae postrema versio, si meum exiguum attendas iudicium, disticha quaedam continet quae Ovidio decori essent; ut dum Ortizius cecinit:

Tanto sabe la hoja de amapola  
A dó la lleva el viento; tanto la ola  
El escollo en que al fin se irá a romper,

Caro canit:

Qui maneant scopuli, fluitanti quaerite ab unda;  
Quaerite ab excussa quo ferat aura rosa;

aut quum primus auctor dolentem feminam religiosam sic compellare dicit (coetum nimirum illa videbat hirundinum patriam nostram pentium):

¡Oh volad! y llegando finalmente  
Al través de la negra tempestad,  
Bajo el ala del Padre Omnipotente,  
Con la primera luz del sol naciente,  
Al profanado asilo  
Donde pasaba mi vivir tranquilo,  
De mi celda en la reja gorjead!,

Latinus poëta, paraphrasticè licet, at sensum auctoris arripiens, vertit:

Ergo volate, precor, vastum percurrite pontum;  
Sic vigil Illius vos tegat ala Patris!  
Ite salutatum primi cum lumine solis  
Atria, victricis nunc violata manu;  
Aedes tum vacuas, vitream lustrate fenestram,  
Et querulae e tectis fundite carmen, aves!

Et quis obliviscetur illius Manzoniæ exordii "*Ei ful...*", non minori sublimitate a Caro sic conversi:

At mortalis erat!...?

Inter eas versiones, sedem nobilissimam nunc petit haec quam audaci nimium manu tractare suscipio: nimirum, Ruderici Cari, poëtae Hispalensis, eadem ac Michaël noster sanguine nati, celeberrimæ *Canción a las Ruinas de Itálica* inscriptæ. Quam translationem, opus excellens, abhinc quinquaginta annos, amplius forsân, exaratam, ast huc usque ignotam, dolendum vel maxime est nobis occultam exstitisse tamdiu: non enim solum ex pulchritudine versionis, sed ex sapientissimo commentario quod hanc præcedit, doctrina æsthetica, eruditione atque eleganti dictione purissimæ latinitatis, summis laudibus extollendo, oculos doctissimorum classicæ culturæ in se convertet, dubio procul. Enimvero, eiusmodi versio ex maturioribus ingenii Cari fructibus iudicanda, ut apprime indicat editor totius libri, Ioseph Emmanuel Rivas Sacconi, iam de nostris litteris optime meritis, dum ita scribit:

...Al paso que las poesías y las intérpretaciones latinas de Caro son en su mayoría composiciones de juventud (*juvenilia scripta* son llamadas en el prólogo que las antecede), recogidas en la edad proveecta, el estudio sobre Rodrigo Caro es trabajo de esta época (*priorum videlicet instantis seculi annorum*), talvez la postrera gran obra del humanista colombiano. Representa,

pues, las últimas modalidades de su inteligencia... Hasta el punto que, de cuantos escritos salieron de su pluma, este es el que presenta un más definido carácter filológico, una crítica más extremada y un material mejor aprovechado<sup>1</sup>

Sed iam versionem ipsam, debita reverentia, inspiciamus. Atque illa mihi virtus prae primis in mentem venit: fidelitas in reddendo germanum sensum poëtae Hispalensis quem Latine canentem inducit. Hoc mihi, obsecro, lector, concedas: qui poëticum opus convertit ex alia in aliam linguam, arduum aggreditur laborem, magnisque obnoxium difficultatibus, si vere poëtica versio obtinenda est: nam reddere verbum verbo, sententiam sententia, etiam vulgo datum; at creationem artisticam conversurus, necesse est ut non tantum verba in verba transferat, sed et ut modos, et formas, et "spiritum" poëseos propriae eius linguae in quam creatio vertitur, percalleat, et, sic dicam, noverit "cogitare in ea lingua"; siquidem non est idem cogitare ut cogitat Anglus, atque ut cogitat Hispanus; concipere ideas ac sensa ut concipiebant Graeci, atque ut concipit Gallus. Noster Carus Latinorum induit mentem; exprimit eorum animi affectus quia cum eis sentit; locutiones genuina Latinorum vi depromit: ut si velimus hominem reperire qui ut Latini et cogitarit et senserit, qui Caro componi possit, ad seculum renascentis Litteraturae graeco-latinae recedendum est, et illum quaerere inter Bembo et Sadoletto, Sannazzaro et Vives.

Fides illa de qua loquor, passim cognosci potest: defigamus mentem, ut in exemplis, in locis paucis:

Evocatione Romae atque Athenarum gloriae, temporis crudelitate iam in nihilum nisi nomen et umbram redactae, fere nil perfectius, nil absolutius, nil sapienter elegantius concipi potest. Verba Ruderici admodum nota sunt:

Y a ti, Roma, a quien queda el nombre apenas,  
¡Oh Patria de los dioses y los reyes!  
Y a ti, a quien no valieron justas leyes,  
Fábrica de Minerva, sabia Atenas... :

Michaël vero:

Et sic te revoco, cui magnum nil nisi nomen  
Restat, Roma potens regum divumque creatrix;  
Et te, cui leges coluisse haud profuit aequae,  
Musarum domus, urbs manibus fabricata Minervae... ;

ubi illud "*Fábrica de Minerva*" petebat circumloquium quo usus est Carus noster, aut simile quid: nam litteralis versio fuisset in hispa-

<sup>1</sup> La Canción "*A las Ruinas de Itálica*" del Licenciado Rodrigo Caro, con introducción, versión latina y notas, por MIGUEL ANTONIO CARO. Publicadas por José Manuel Rivas Sacconi. Bogotá, 1947. Edit. Voluntad, pág. xv.

nico sermone inepta; sed fidelis prorsus manet idea. Et non minori fidelitate pars reliqua huius strophae traducta est:

(*Roma, Atenas...*)

Ayer emulación de las edades,  
Hoy desiertos, hoy vastas soledades:  
Que no os respetó el hado, no la muerte,  
¡Ay! ni por sabia a ti, ni a ti por fuerte.

Ita Hispalensis; Bogotensis autem:

Utraque tunc longis aetatibus aemula, sed nunc  
Aut cinis aut vacuum: fortuna ambabus iniqua:  
Non tibi mors forti, mors doctae non tibi parsit.

Hoc magnum ingenium exigebat, potissime in postremo versu, si vere poëtica et vere Latine vertendum erat. Nec defuit tale ingenium poëtae nostro: iudicet lector, simul advertens mutationem loci "sapientis" et "fortis" iuxta loca quae antea duae civitates in hispanica poësi occupant.

Aquí de Elio Adriano,  
De Teodosio divino,  
De Silio peregrino,

Rodaron de marfil y oro las cunas:

Haec sic conversa mirifice:

Aelius hic princeps, et qui cognomine dictus  
Theodosius; nec te, Sili mirande, tacebo:  
His ebore atque auro structa incunabula, primum  
Somnum suaserunt...

Praeter quam quod "incunabula" non "agitata", non "huc illuc versa", aut "rotantia" describit, sed, imagine mutata, Hadriano et Theodosio et Silio "suasisse primum somnum"<sup>2</sup> recens natis ait, miro modo vitat pleonasmum Ruderici quemdam: nam "Theodosius" pro cognomento assumens, verbum "*divino*" reddit supervacaneum: siquidem "Theodosius", ex graeca origine, "donum divinum", vel "a Deo datum" significat. Pleonasmum usum dixi Hispalensem: nam quamvis non credendus sit ille ignorasse "Theodosii" nominis sensum, paganum quid videtur insonuisse: dum Columbianus melius expressit nomen christiano more.

"*El amarillo jaramago*" (vers. 20): vilem rem quidem nobilitavit Rudericus; at quum hoc verbum civitate Latina donari fas non esset, Michael Antonius illud vocavit circuitione plena gratia ac proprietate simul: dixit "hederas pallentes circum rudera"; sed recolamus simul, lector amabilis, totum locum, ut et fidelitatem et ingenium Latinae poëseos miremur:

<sup>2</sup> Suadentque cadentia sidera somnos (VERG., *Aen.*, II, 9).

## Hispalensis:

Este despedazado anfiteatro,  
 Impio honor de los dioses, cuya afrenta  
 Publica el amarillo jaramago,  
 Ya, reducido a trágico teatro,  
 (¡Oh fábula del tiempo!) representa  
 Cuánta fue su grandeza y es su estrago;

## Columbianus vero:

Hoc lacerum, viden' amphitheatrum, gloria divum  
 Impia, quos hederac, pallentes rudera circum,  
 Indecores memorant, tragicum nunc ecce theatrum  
 Temporis immensam scenam contraxit, et una  
 Praeteritas ostendit opes clademque sequentem.

Te mihi morigerari existimo, lector, si dicam, ita ut in illo "*Teodosio divino*", auctorem versionis supra auctorem primigenium putandum, ita in aliis accidisse. Versus 51 Hispalensis, sic:

Y aun las piedras que de ellos se escribieron;

## Bogotensis vero id vertit:

Et quae caesareo sculptae sunt nomine pilae.

Commentarium tibi relinquo; et adhuc alia insinuare non desinam:  
 conferas haec quae sequuntur, Ruderici:

Que aun se ve el humo aquí, aun se ve la llama,  
 Aun se oyen llantos hoy, hoy ronco acento. . . (vers. 72, 73),

cum iis quae in Michaële Antonio illis versibus respondent:

Namque hic fumus adhuc, namque hic et proditur ignis,  
 Hic lamenta licet fletumque haurire supremum:

In primo ductu Ruderici, durities intolerabilis; in secundo, vacare videtur secundum "*hoy*". Verum auctor noster duplici perfecto hexámetro quasi pallio pietatis peccata primi operit.

Nolim praeterire locum ubi Carum Baeticum pie dolentem Carus noster comitatur, et illius lacrimis lacrimas iungit suas. Baeticus, memorans Martyrem Gerontium, mortuam Italicam obtestatur:

Permíteme piadosa,  
 En pago de mi llanto,  
 Que vea el cuerpo santo  
 De Geroncio, tu Mártir y Prelado:  
 Muestra de su sepulcro algunas señas,  
 Y cavaré con lágrimas las peñas  
 Que ocultan su sarcófago sagrado;

Columbianus ita deprecatur "infelicem Italicam":

Da, precor, inveniam Geronti Martyris ossa  
 Cara nimis: quacumque latet sub rupe cavatum  
 Fas sit cum lacrimis venerandum aperire sepulcrum!

At vero, ne caecus laudator, atque ut in praesentia dicitur, "non restrictus" assecla videar, non nulla designare volo in quibus versio mihi videtur naevos, certe parvos, habere. Audax, immo temerarius, mihi ipsi videor: qui centesimam partem excelsi poëtae nostri non attingo meo valore, infimus prorsus discipulus eius, fateor me non debere animadvertere in ullum ex ipsius verbis: sed quandoquidem clepsydram sumere coactus sum (quam nec petivi, nec admissem nisi amicitiae causa), dicam quod mea exigua sententia parum felix in versione est: nec mirum, si ipse pater Homerus aliquando "dormitavit"...

Igitur, primo, in versu Hispalensis 12,

Este llano fue plaza, allí fue templo,

dum Bogotensis vertit:

Hic locus ante foro fuerat, ni fallor, et illic  
 Templum surgebat. . . ,

verba "ni fallor" adiecta sunt sine utilitate, immo sine pulchritudine: pericope enim illa prosam redolet, minime huic sublimesi loco aptanda.

Deinde, quum de Traiano (vers. 35-37) loquitur Baeticus, dicens:

Aquí nació aquel rayo de la guerra,  
 Gran padre de la Patria, honor de España. . .  
 Ante quien muda se postró la tierra. . . ,

sic illa ad versionem transierunt:

Hic fulmen belli, Patriae pater optimus ille,  
 Est genitus, decus ille tuis, Hispania, terris:

At in hoc secundo versu, verbum "ille" redundare videtur: si robor sententiae, si ornamentum viro contulisset, pulchre id verbum esset usurpatum: sed non apparet eiusmodi vis: potius diceretur versio indignis pede trochaeo: quod tanti vatis, tam divitis in formis inveniendis, indignum prorsus; idque de eo cogitare, probrosum putandum.

Tandem, Ruderici ultimo versui:

Para envidia de el mundo y las estrellas,

vim admittit, si me audies, Latina forma:

Quas desiderio gentes atque astra requirunt:

etenim "desiderare" minus dicit quam "invidere"; et quod Baeticus homines et ipsas stellas "invidentes" inducat ruinis, eo quod hae celent sepulcrum Martyris, habet nescio quid sublimitatis.

Haec mea sensa si inepta, stulta forsitan, reperias, ea despicias per me licet.

Agedum, ad thesim surgens, ut aiunt, occasionem nanciscor in laudem maximi nostri Humaniorum Litterarum cultoris, ut poëta Latina fuit, non nulla promendi. Exstitit hic inter vates Americanos qui Latina carmina confecerint, princeps, ut videtur: nam unus Latini magister quocum Michaël noster sceptrum classicae Litteraturae dividit, magnus videlicet Andreas Bello, carmina Latina aut nulla conscripsit, aut ea non exstant. Interrogatus a me Dominus Iulius Saavedra Molina, clarus amans Latinitatis, utrum in sua Patria Chilensi servaretur memoria versuum Latinorum quae Bello haberent auctorem, respondit sibi prorsus ignota esse eius generis carmina. Quod si is eruditissimus litteratus Latinus, in ea quam Bello sibi adoptavit patria, talia carmina non novit, planum esse videtur clarissimum Andream Bello nulla reliquisse Latina poëmata. Nunc praetermitto tempora dominationis Hispanicae in America, et iesuitam Landívar atque alios forsitan qui lyram tractarint Vergilii atque Horatii, Ovidii ac Lucani: de recentiori aetate loquor; atque in ea non novi similem Michaëli Antonio Caro quem musae Latii tali amore sint prosecutae.

Cuius ex ingenti mole poëmatum Latinorum, alia dum viveret ipse publici iuris fecit; alia, maxima pars, ut puto, non edita mansit, quae postremis annis, dum centesimus celebratus est ab eius nativitate (1943), recognita atque in lucem prodi coepta sunt <sup>3</sup>.

Duplicis vero generis sunt eiusmodi poëmata: nam et multa proprio penu propriaque inspiratione creata; alia ex diversis linguis, Hispanica potissime, ut ante innuebam, sunt traducta. Talis autem erat Domini Cari in tale genus poëseos amor, ut quum in solio sederet Praesidis Reipublicae Vergilianam avenam saepe ad labra admoverit, ut in Epicedio Antonii Corvi, sui Ministri, ut in celebrando Belisario Peña, ex Aequatoriali Republica in hanc suam Patriam Columbianam redeunte; ut in poëmatio quod Sacerdotibus quibusdam dicavit cuius postremi carminis autographum possideo, in quo annus notatur (1898) et cui in margine, chartae propriae supremi Magistratus, haec Carus scripsit: "Extemporalia, ex abundantia cordis effusa, corrigenda".

Fere semper adhibuit hic Vates versus hexametros, quibus pentametrum saepe adiecit; tum saphicos cum adonicis; et in religiosis hym-

<sup>3</sup> Vid., ex. gr., MICHAELIS A. CARI, *Carmina et interpretationes e poetis nostratibus*. Bogotae, ex Off. Typogr. "Centro", MCMXLIII. Continet hoc volumen centum septuaginta duo poemata proprio Marte confecta, ex quibus, si non pauca breviter epigrammata sunt, multa alia titulo iustae odae sunt decoranda.

nis, iambicos dimetros, Liturgiae adeo peculiare. Atque illud notandum: ab alcaico pretioso, Horatio familiarissimo et quasi praedilecto, strophilla illa trimetra tetrasticha, Carum abstinuisse: rationem non assequor: forsitan suae animi gravitati et altissimis sensis eam stropham impropiam putaret.

Si iam de altero genere, poëmaticis nimirum linguis vernaculis conscriptis, et in Latinum carmen conversis, dicendum sit, pauca ex eis enumerabo. Praeter illa quibus iam allusi, nimirum *Il cinque maggio* et *La monja desterrada*, liber de quo parum antea in annotatione 3 sum locutus, triginta duo poëmata Hispanica versa in linguam Latii habes; ex quibus viginti quatuor desumpta fuere ex opere poëtico paterno, illius Ioseph Eusebii Cari quem multi putant summum lyricum patriae nostrae. In his omnibus multa miranda, quae propriam tuam observationem, lector, requirunt. In uno, quod Cari genitoris numen vel maxime decorat, non adeo felix fuit Carus filius: *El Bautismo*; tum ex eo quod versionem infectam reliquerit, tum quod metrum selegit, iambicum trimetrum dimetro mixtum, non adeo aptum, ex mea sententia quam aliorum iudicio libens subiiciendam volo, magnifico illi cantui qui numquam legi potest sine animi commotione, a nobis potissime qui ab infantia didicimus illum venerabundi declamare.

Magnum etiam poëtam Latinum se Michael praebuit in multiplici interpretatione Hispanica poëtarum Latii. De qua re, cum copiosa eruditione nuper scripserit Doctor Rivas, quem iam nominavi, in disceptatione *Miguel Antonio Caro humanista*<sup>4</sup>, nil est quod immerer; neque id erat susceptae a me opellae. Ad illud scriptum lectorem mitto, precans ut, si Carum Humanitatis classicae magistrum noscere cupiat, legat, perlegat eas paginas, ac testimonia audiat magnorum de hac disciplina magistrorum, cum in Hispania, tum in America loquentium. Equidem satis dixerim. Atque ut institutam a me laudationem claudam, hunc liceat mihi imponere colophona:

Dum RUDERICI effers laude usque ad sidera Cantum,  
Effers et proprium, MICHAËL alme, decus;  
Calliope carum CARI cognomen habere  
Dicitur, et dictum CARUS uterque probat<sup>5</sup>.

D. RESTREPO, S. I.

<sup>4</sup> *Boletín del Instituto Caro y Cuervo, Año III, 1947, pag. 117 sqq.*

<sup>5</sup> Hanc sententiam protulit Ioseph Maria Vergara et Vergara: "El apellido Caro ha sido caro a las musas"; eamque confirmavit nominans Carum, Latinum; Hannibalem Carum; Rudericum; et ex patria nostra, Antonium Iosephum, Iosephum Eusebium ac Michaëlem Antonium.